

cob. II, 19); homines credunt nec contremiscunt. Dæmones quem credunt verentur; homines dum quem credunt, nec timent nec verentur, gravius de contemptu judicantur. Non fallamur ergo, fratres, generali nomine fidei, quasi quæcunque fides ad justitiam debeat reputari; sed meminerimus Doctor gentium in fide et veritate, qualem definierit fidem, qua Deo est placendum: *Fides*, inquit, *est substantia rerum sperandarum argumentum non apparentium*. Hæc est fides quæ per dilectionem operatur; ut, suadente conscientia meritorum, de fide spes nascatur, fidesque supponatur velut subjectum et fundamentum, cui superædificentur bona æterna, quæ speranda sunt. *Sine ista fide impossibile est placere Deo* (Hebr. XI, 1, 6), et cum ista impossibile est displicere Deo. *Oculi tui Domine, respiciunt fidem* (Jerem. 3 v.), dixit ille qui jugiter in conspectu tuo stabat per fidem. Omnino juste et merito. Prorsus debita vicissitudo, ut oculi tui, Domine, respiciant fidem, quia oculi mei semper ad Dominum fidelem.

6. Nos autem, fratres, si tanquam sine fide simus, Deum post dorsum nostrum ponimus, ut, dissimulantes timorem ejus, in vanitates potius respi-

IN ANNUNTIATIONE DOMINICA.

SERMO I.

De gaudio hujus diei et de laudibus Virginis matris.

1. Opportune nobis in his diebus Quadragesimalis observantiae solemnitas intervenit Dominicæ Annuntiationis, ut qui fatigantur afflictione corporali, gaudio recreari valeant spirituali; et quos humiliavit poenitentiae luctus, annuntiatio illius qui tollit peccata mundi, consoletur. Sic quippe scriptum habes: *Mœror in corde viri humiliabit eum; et sermone bono lætificabitur* (Prov. XII, 25). Prorsus sermo bonus, sermo fidelis et omni acceptione dignus, Evangelium nostræ salutis; quod angelus missus a Deo, hodierna die Mariæ evangelizavit, ac lætæ de Incarnatione Verbi, dies diei, angelus Virgini verbum eructavit. Sermo ille, dum Filium promittit Virgini, veniam pollicetur reis, redemptionem captivis, adaptionem clausis, vitamque sepultis. Sermo ille, dum Filii regnum prædicat, justorum quoque gloriam annuntiat; terret inferos, lætificat cœlos; et, sicut cognitione mysteriorum, sic etiam novitate gaudiorum perfectionem auxisse videtur Angelorum. Quem ergo non lætificet ille sermo bonus in afflictione sua, quem non consoletur verbum illud in humilitate sua? *Memor esto*, inquit David, *verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti; hac enim me consolata est in humilitate mea* (Psal. CXVIII, 49, 50). Verbum tantum promissionis acceperat, sed nullo adhuc indicio sese effectus prodebat. Affligebat eum dilatio voti, sed

ciamus, quo merito nos respiciendos putamus? Imo respiciemur, sed quo vultu? Vultus Domini super facientes mala (Psal. XXXIII, 17); sed quam iratus, **980** quam terribilis, quam importabilis, tunc demum scietur, quando fugient qui oderunt eum a facie ejus. Et a facie tua, Domine, quo fugient, nisi in tenebras exteriores, in illud chaos et abyssum ignis et caliginis? *Tunc enim dicent montibus, Cadite super nos; et collibus, Operite nos* (Luc. XXIII, 30), levius æstimantes absorberi voragine inferni, quam sustinere faciem Dei irati. Enim vero tunc stabunt iusti in magna constantia; tunc fides, quæ modo sollicita stat in conspectu Domini ad videndam voluntatem ipsius, secunda stabit ad videndam gloriam ejus. Vigilare, fratres, state in fide (I Cor. XVI, 13). Quem fides timore sollicitat, non potest dormire per negligentiam; quem fides in spe radicat, non potest titubare per diffidentiam. Omnia autem vestra in charitate fiant, ut fidei lenitas jungatur, quatenus de unoquoque vestrum dicatur, *In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum Dominus* (Eccli. XLV, 4); quod ipse præstet Sanctus sanctorum, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

C consolabatur certitudo spei ex fide promittentis.

2. Si ergo David sola spe salutis hujus, quæ nobis servabatur, animum pascibat, quod gaudium quæ deliciae, rei ipsius exhibitio nobis esse debuerat? **O** felicitas temporum istorum! o infelicitas temporum istorum! An non felicitas temporum in quibus tanta plenitudo gratiæ et omnium bonorum? an non infelicitas temporum in quibus tanta ingratitudo redemptorum? Ecce enim venit plenitudo temporis, in quo mittit Deus Filium suum, ut fiat Filius hominis hominumque Salvator; et ecce magnitudo temporis, ut Salvatorem suum fastidiat homo peccator. Annuntiat salus perditis, et contemnunt; promittitur vita desperatis, et negligunt; venit Deus ad homines, et non assurgunt. Assurgit, qui aliqua devotione se erigit ut det gloriam gratiæ Dei; assurgit, qui saltem cum gaudio suscipit verbum propriæ salutis. Scio autem, scio quis est qui lætificatur illo sermone bono. Ille procul dubio quem prius humiliavit pius mœror in corde suo: mœror de peregrinatione et exilio, mœror de vinculis mortis et periculis inferni; qui mœrens quotidie plangit, quod præoccupaverint eum laquei mortis, et pericula inferni invenerint. Huic nimirum jucundus advenit hodiernus ille nuntius de cœlo, hic gratulabundus excipit sermonem de Dei Filio; huic, inquam, lugenti et mœrenti quod tantis sit malis præventus et circumventus, non sine gaudio liberator annuntiat; qui oleum gaudii daturus est pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris; qui videlicet finem dabit miseris, et sine fine

beatitudinem dabit miseris. Beati ergo qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur; beati **981** duos humiliavit pius mœror in corde suo, quoniam lætificabuntur sermone bono. Bonus plane sermo et consolatorius omnipotens Sermo tuus, Domine, qui hodie a regalibus sedibus venit in uterum Virginis, ubi etiam sedem sibi regalem exstruxit; in qua cum etiam nunc sedeat, quasi Rex circumstante exercitu Angelorum in cœlis, est tamen mœrentium consolator in terris.

3. Regali siquidem ex progenie Virgo electa est, generositatis quidem regiæ nobilis proles, sed virtutis regiæ nobilior indoles: ut æterno Regi, Filio Regis, materna quoque nobilitas regium honorem deferret, et venientem a regali sede Patris, regalis etiam thronus in aula virginali Reginæ susciperet **B** Matris. In ipsa quippe et ex ipsa, Sapientia ædificavit sibi domum (Prov. IX, 1), in ipsa et ex ipsa paravit sibi thronum, cum in ea et ex ea corpus aptavit sibi ita ad omnia perfectum et congruum, ut et domus ei sit ad quiescendum, et thronus ad judicandum, quod primo tabernaculum ei fuit ad pugnandum, et cathedra ad docendum. Vide autem ne forte ipsa sit sedes David patris ejus (Luc. I, 70), quam ei dandam promittit angelus; non quod David in ea sederit, sed quod ex semine David assumpta et fabricata sit. Et certe, si sedes David non est, tamen sedes tua, Deus, in sæculum sæculi ipsa est. Si solum David non est, certe solum excelsum et elevatum super omnem creaturam ipsa **C** est. Si quis autem etiam thronum illum grandem, quem rex Salomon sibi fecit de ebore, corpus ipsum interpretetur, quod Pacificus noster hodie sumpsit ex Virgine, non multum a vero videbitur abhorere; quandoquidem et illud quod sequitur, *et vestivit eum auro fulvo nimis* (III Reg. X, 18), eidem satis corpori congruit; quod jam Dominus decorem induit fulgoris intolerabilis. *Vestivit, inquit, eum auro fulvo*. Prorsus, si interroges oculos Apostolorum qui transfiguratum in monte viderunt (Matth. XVII, 1, 2), confitebuntur aurum nimis esse fulvum, id est, fulgorem corporis esse nimium, quem ferre nequiverunt, quamvis *nimis* pro Valde ponere consuetudinis sit Scripturarum. Cætera namque quæ prosequitur Scriptura de illius throni magnificentia (III Reg. X, 18-20), accommodatius nisi fallor, si quis tractare voluerit, accipiuntur de corpore Christi, quod est Ecclesia.

4. Mihi sane magis mirari modo libet illud ebur tam pretiosum, imo et impretiabile, virginatis castimoniam, de quo scilicet sedem sibi facere delegit, qui sedet super Cherubim: *Hæc*, inquit, *requies mea in sæculum sæculi; hic sedebo, quoniam elegi eam* (Psal. CXXXI, 14). Quam nitidum ebur illud quod oculis tanti tamque divitis Regis placuit, in cuius diebus argentum nullius est pretii! quam frigidum, quod nec a conceptu incaluit! quam solidum, quod nec partus violavit! quam candidum simul et rubicundum, quod candor lucis æternæ

ignisque Spiritus sancti, universa sui plenitudine replevit! Maria siquidem et ipsa candidior nive, rubicundior ebore antiquo; cui scilicet incomparabilem et castitas candorem, et charitas seu martyrium rutilantem præ antiquis electis noscitur contulisse ruborem. Nam et suam ipsius animam pertransivit gladius, ut mater summi Virginis et Martyris esset et virgo ipsa et martyr, candida et rubicunda, quemadmodum dilectus ejus candidus et rubicundus (Cantic. V, 10). Denique, sicut Salomon in omnibus thesauris suis et opibus tantis nihil habuit tam pretiosum, quod in opus illud, magnificentum thronum scilicet gloriæ suæ judicaret ebore præferendum, sic Maria singularem præ omnibus electis Angelorum et hominum invenit gratiam apud Deum, ut videlicet Dei conciperet et pareret Filium atque ex ebore corporis ejus thronum sibi virtus Altissimi sine manibus excideret gloriosum. Gloriosus prorsus ille thronus ac mirabilis, de quo Scriptura perhibet quia *non est factum tale opus in universis regnis* (III Reg. X, 20), quod facile testimoniis probaretur Angelorum, qui semper et insatiabiliter in gloriam et decorem Dominici corporis prospicere concupiscunt. Quia enim in universis regnis non est tale opus factum, quidquid factum est, flectat ei genu in omnibus regnis, cœlestium, terrestrium, et infernorum. Quam beatus igitur ille venter eburneus, unde caro eburnea sumpta est Redemptoris, pretium animarum, miraculum Angelorum, solum summæ majestatis, thronusque **C** **982** potestatis, cibus vitæ immortalis, medicina peccati, restitutio sanitatis! *Quotquot*, inquit, *tangebant eum, sanabantur a languoribus suis* (Marc. VI, 56): nam *virtus de illo exibat, et sanabat omnes* (Luc. VI, 19).

5. Beatus igitur venter, qui te, Domine Jesu, portavit! felix castitas uteri virginalis, quæ huic operi materiam ministravit! Felix prorsus, fratres mei, nitor illius eboris, id est, candor castitatis: cui nec aurum mundanæ sapientiæ, nec argentum eloquentiæ, nec gemmam alicujus excellentis gratiæ, nostri præfert electio Salomonis; si modo tamen castitas humilitate commendetur, quia humilitatem ancillæ suæ respexit Dominus (Id. I, 48). Proinde namque Salomon, cum in carmine amoris castitatem prædicaret virginis, seu sponsæ, videlicet seu sponsi (quia quorum spiritus unus et caro una, in plerisque etiam laus una), ut castitatem illius adornatam nostramque adornandam etiam aliis virtutibus doceret, ait: *Venter ejus eburneus distinctus sapphiris* (Cantic. V, 14). Ut autem noveris quia castitas aliarum virtutum seu gratiarum sit receptaculum, apothecæ aromaticæ seu unguentariæ nostri Salomonis non nisi domus eburnæ sunt, sicut David in illo epithalamio cecinit, quod inscriptio tituli, *Canticum pro dilecto*, de Sponso Ecclesiæ accipiendum ostendit. *Myrrha, inquit, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus, eburneis ex quibus delectaverunt te filia regum in honore tuo* (Psal. XLIV, 9, 10.) Corpora

siquidem eburnea sanctorum, domus Christi sunt, vestimentum Christi sunt: membra Christi sunt; templum Spiritus sancti sunt. Ab his vestimentis Christi, ab his domibus eburneis spirat ei omnis fragrantia virtutum et charismatum, ex quibus delectant et honorant Regem regum filiae Apostolorum et Prophetarum. Probastis et ipsi, fratres mei, ex quo coepistis possidere unusquisque vas suum in sanctificatione et honore, non passione desiderii, sicut et gentes quae ignorant Deum (*I Thess. iv, 4, 5*), quid unguentorum, quid odoramentorum divina largitate sit infusum; quo modo corpus, quod erat sentina sordium, nunc Spiritus sancti sit venerabile sacrarium; et quod erat vorago flagitiorum, nunc quaedam sit apotheca gratiarum.

6. *Myrrha*, inquit, *et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis*. Inhabitamus quidem domos luteas, sed quae materiae qualitate sunt luteae, continentiae virtute fiunt eburneae; ex quibus si myrrha prima spirare coeperit per mortificationem voluptatum, consequentur et aliae species aromaticae, quae multiformem virtutum gratiam spirabunt. Spirabunt autem Christo delectabiliter, tanquam de vestimentis suis; spirabunt etiam longe lateque proximis, tanquam bonus odor Christi in omni loco, Horum vestimentorum Christi fragrantiam statim ut sensit Isaac: *Ecce*, inquit, *odor filii mei sicut odor agri cui benedixit Dominus* (*Gen. xxvii, 27*). Sed et Sponsus ad sponsam, quae etiam corpus et vestimentum ipsius est, loquitur dicens: *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris* (*Cant. iv, 11*). Quem nimirum odorem thuris Sponso gratissimum, pietas, o fratres, vestrorum spirabit cordium, si ita fragrans ei devota fuerit ut dirigatur oratio vestra sicut incensum in conspectu Altissimi, et ascendat coram eo *sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris* (*Id. iii, 6*). Et quidem myrrha fragrat ei de corporibus vestris; fragrat utique et mihi: utinam ita et thus fragret de cordibus vestris, quatenus Sponsus probans vos sicut castos, sic etiam devotos, frequentius vos sua visitatione dignetur, et dicat: *Ibo mihi ad montem myrrhae, et ad collem thuris* (*Id. iv, 6*). Videtur tamen sermo iste, prophetia hujus esse diei, per Salomonem olim praedicta, per Jesum hodie impleta. Hodie namque venit in illum montem altissimum montium, montem non modo myrrhae et thuris, sed et omnium aromatum; dico autem Virginem virginum, omnium plenam gratiarum, inter quas tamen praecipue, nisi fallor, redolebat sponso myrrha castitatis, et thus pietatis. Odor, iste, fratres, mei, super omnia aromata; odor iste Dominum majestatis de excelsis attrahit et invitat, ut inclinet caelos et descendat, sicut probat dies haec, cum Altissimus, angelo misso de caelis, ipse quoque descendit in uterum Matris, qui semper manet in sinu Patris, cum quo vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

(7) Scilicet Genadius.

983 SERMO II.

De verbi incarnatione in Maria et in anima fidei,

1. Hodie Verbum caro factum est, et habitare coepit in nobis, secundum regulam scilicet saepe fidei, quam ecclesiasticorum dogmatum definitio tradidit nobis (7). Firmissime namque tenet, et nullatenus dubitat Ecclesia, carnem Christi non prius conceptam; quam a Verbo susceptam; sed ipsum Verbum Dei carnis acceptione conceptum, carnemque Verbi incarnatione conceptam. Hodie itaque Sapientia aedificare coepit sibi domum corporis nostri in utero Virginis, et ad aedificandam unitatem Ecclesiae, angularem lapidem de monte sine manibus absceidit; dum sine opere humano de corpore virginali carnem sibi nostrae redemptionis separavit. Ab hoc ergo die Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob, quia hodie Domini est assumptio nostra, ut inhabitet gloria in terra nostra (*Psal. lxxxiv, 10*). Prorsus hodie benedixisti, Domine, terram tuam, illam benedictam in mulieribus. Hodie dedisti benignitatem Spiritus sancti, ut terra nostra daret benedictum fructum ventris sui, et rorantibus caelis desuper uterus virginalis Salvatorem germinaret. Maledicta terra in opere praevicatoris, quae etiam exercitata spinas et tribulos germinat haeredibus maledictionis (*Gen. iii, 17, 18*). At nunc benedicta terra in opere Redemptoris, quae remissionem peccatorum fructumque vitae parit universis, et filiis Adae praevicium originalis dissolvit maledicti. Prorsus benedicta illa terra, quae omnino intacta, nec fossa, nec seminata, de solo rore caeli Salvatorem germinat, et mortalibus panem Angelorum, alimoniam vitae aeternae ministrat. Haec itaque terra, quia inculta erat, videbatur esse deserta, sed erat opimo fructu referta: videbatur esse eremus solitudinis, sed erat paradus beatitudinis. Plane hortus deliciarum Dei, eremus cuius campi germinaverunt germen odoris, plane desertum refertum, de quo Agnum dominatorem terrae Pater emisit. *Emitte*, inquit, *Agnum, Domine, de petra deserti* (*Isai. xvi, 1*), id est, absconde Petram de Petra, Sanctum et inviolabilem sancta et inviolata proferat virginitas. Sane in hoc ipso satis decenter Christi occasus ortui, sepultura respondet conceptioni, dum videlicet emittitur Agnus de petra deserti, condendus in petra monumenti; et cuius corpori monumentum excidendum erat in petra, ipse ab initio conceptus sui, et corpus sibi excidit de petra, et corpori locum in petra: sic integritatem petrae, cum de ea emitteretur, non imminuens, sicut nec signatam sepulturae petram, cum de ea egrederetur, aperieas.

2. Si ergo *petra Christus* (*I Cor. x, 4*), ut ait Apostolus, non degenerat a Matre Filium, quando et ipsa petra nomine censetur. An non recte vocatur petra, quae et in amorem integritatis proposito firma, affectu solida, sensu quoque ipso adversus illecebram peccati tota insensibilis erat et lapidea?

an non recte petra virginalis integritas, quae et nihil parit per naturam sui; et cum parit, roris virtute divini, nec admittens conceptum, nec emittens partum, novit aperiri? Sed *aperietur terra*, inquit *Isaias, aperietur, et germinet Salvatorem* (*Isai. xlv, 8*). O sancte *Isaia*, qui dicis *aperietur*, quid ergo est quod Dominus ad Ezechielem testatur: *Porta haec clausa erit, et non aperietur* (*Ezech. xlv, 2*)? An tibi reseratum fuit tantummodo consilium fecundandae Matris, et clausum tibi fuit mysterium clausae perenniter integritatis? Absit! inquit; nemo magis quam ego conscius hujus secreti. Quomodo enim me latuisset perpetuae virginitatis mysterium, qui tanto ante praedixi: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium* (*Isai. vii, 14*)? Quæris igitur quomodo dicamus, ego, *aperietur*; ille, *non aperietur*? Non aperietur viro, aperietur Domino; sicut ibidem ad ipsum dicitur Ezechielem: *Vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam*. Aperietur autem Domino non virginalis integritas corporis, quia, sicut Ezechiel post praedicta subdidit: *Haec clausa erit ipsi etiam principi* (*Ezech. xlv, 2, 3*), sed aperietur auris et porta cordis; quia videlicet intravit per aurem Virginis Verbum incarnandum, et exivit per clausam portam corporis incarnatum. 984 Omnipotens namque Verbum Dei, etsi infirmitatem nostram suscepit, nihil tamen de sua sibi omnipotentia minuit, quominus contra naturam carnis, et supra intelligentiam sensus nostri, corpus suum palpabile per clausa posset et integra trajicere, sicut etiam [ad] discipulos ingrediens januis clausis, oculis probavit, quod ratio non capit.

3. Secura igitur, o Virgo intemerata, o porta sanctuarii perenniter clausa, secura aperi Domino Deo Israel, qui tibi jam dudum clamat: *Aperi mihi, soror mea, amica mea* (*Cantic. v, 2*). Non est quod timeas integritati tuae: Deus non novit integra violare, sed violata consolidare. Si Verbo Dei apta es, tum demum non modo clausa, sed et signata es. *Pone me*, inquit, *ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum* (*Id. viii, 6*). Jesus quippe impressus in corde, expressus in opere, sigillum plane et munimentum est inviolabile castitatis sponsae suae, et eo ipso quo se imprimit imitationis formam, imponit etiam incorruptionis custodiam. Sit ergo, o Virgo fidelis, auris tua aperta ad audiendum et mens tua ad credendum: aure percipe verbum angeli, et corde suscipe Verbum Altissimi, et corpore concipe Filium Dei. Dic et tu, o beata, tam humilis quam fidelis, dic *Dominus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico, retrorsum non abii* (*Isai. l, 5*). *Ecce ancilla Domini: praesto sum ejus voluntati; quinimo juvabo votis si possum, fiat mihi secundum verbum tuum* (*Luc. i, 38*). Hoc dicere, sic suam devotionem offerre, istud plane est Domino pectus aperire, istud est etiam os aperire, et spiritum attrahere. Sic profecto aperiebatur terra, ut, quem rorabant caeli desuper, susciperet rorem, et germinaret Salvatorem. Nobile germen,

germen justum, germen odoris, germen Domini, quod jam est in magnificentia et gloria, cum idem fructus terrae sub imis est super omnia, id est, exaltatus est super caelos Deus, et super omnem terram gloria ejus. Nihil enim interest sive germen, sive fructum aut florem dixeris, cum haec omnia, imo infinita alia unus Christus sit, res una, sed multiformis gratia, et virtutis unius operatio multifaria; cui si infinita nomina paupertas humani sensus et sermonis pro similitudine commodaverit, rei tamen implere significationem non poterit. Beae autem simul vocatur germen, et flos, et fructus, qui sine gradu profectus, ab initio conceptus sui omni virtute et gratia in se ipso exstitit perfectus. In nobis enim primum ipse *germen* est, cum fides in confessionem prorumpit vel opus manifestum: postmodum *flos*, cum super proficientem efflorescit sanctificatio Dei quodam spectabili decore virtutum; demum autem *fructus*, cum beatitudo satiat hominem consummatum. Pulcherrime sane ac vigilantissime non solum mysteria, sed et mysteriorum praesagia dispensatio praedordinavit divina, ut locus in quo terra germinavit Salvatorem germen justum, et flos de virga et radice Jesse ascendit, Nazareth, id est *sanctitas*, germen, flos, virgultum vocaretur; ut videlicet negotium loco, locusque negotio consona voce contestaretur, pariterque et nomen loci rem gerendam pronuntiaret, et res gesta causam nominis indicaret.

4. Ignoscite mihi, fratres mei, quia, qui mortem vestrorum servire debueram instructioni, plus forsitan quam necesse erat demoratus sum in illius ineffabilis admiratione et praeconio mysterii. Quid enim mirum si miror quod stupent Angeli, si praedicare gestio, quam caeli enarrant, gloriam Dei? quid mirum si me delectat quod beatos spiritus laetificat, quod peccatores justificat, justosque glorificat? Nescio tamen si ulla esse possit efficacior ac suavior morum aedificatio, quam hujus mysterii, id est Verbi incarnati, fidelis et pia consideratio. Quid enim sic hominem excitare potest ad amorem Dei, quam praeveniens hominem amor Dei tam vehementem ad hominem, ut homo propter hominem velit fieri? Quid autem ita nutrit amorem proximi, quam similitudo et natura proximi in humanitate Dei? Nam humilitatis exemplum nec cogitari posse majus aliquod existimo, quam exinanitionem Dei in formam servi, et servitatem plus quam servi. Castitatem porro quid aequae commendat, sicut quod ipsa castitas Salvatorem germinat? Aut 985 fidei virtutem ac meritum quid evidentius ostendit, quam quod Virgo Deum fide concepit, fide omnia sibi promissa divinitus impleri promeruerit? *Beata*, inquit, *quae credidit, quoniam perficientur quae dicta sunt ei a Domino* (*ibid. 45*). Et ut plenius noveris conceptum Virginis non solum esse mysticum, sed et moralem; quod sacramentum est ad redemptionem, exemplum quoque tibi est ad imitationem; ut manifeste evacues in te gratiam sacramenti, si

non imiteris virtutem exempli. Quæ enim Deum fide concepit, si fidem habeas, idem tibi promittit, quod videlicet si verbum ex ore nuntii cœlestis fideliter velis suscipere, Deum quem totus orbis non potest capere, possis et ipse concipere. Concipere autem corde, imo et corpore, licet non corporali opere aut specie, tamen plane corpore tuo; quandoquidem jubemur ab Apostolo glorificare et portare Deum in corpore nostro (I. Cor. vi, 20). Attende itaque, ut scriptum est, diligenter auditui tuo, nam *fides ex auditu, auditus autem per Verbum Dei* (Rom. x, 17); quod tibi absque dubio evangelizat angelus Dei, cum de timore aut amore ejus tecum agit prædicator fidelis, quem angelum Domini exercituum dici et esse non est tibi fas ambigere (Malach. ii, 16, 17). Quam beati qui dicere possunt: *A timore tuo, Domine, concepimus et parturivimus spiritum salutis* (Isa. xxvi, 17, 18)! qui nimirum non est alius quam spiritus Salvatoris, quam veritas Jesu Christi. Vide ineffabilem dignationem Dei, simulque virtutem incomprehensibilis mysterii: qui creavit te, creatur in te; et, quasi parum esset te ipsum habere patrem, vult etiam te sibi fieri matrem. *Quicumque, inquit, fecerit voluntatem patris mei, ipse meus et frater, et soror, et mater est* (Matth. xii, 50). O fidelis anima, expande sinus, dilata affectus; ne angustieris in visceribus tuis, concipe quem creatura non capit. Aperi Verbo Dei aurem audiendi hæc est ad uterum cordis via spiritus concipiendi, hac ratione compinguntur ossa Christi, id est, virtutes in ventre prægnantis.

5. Gratias tibi, sancte Spiritus, qui ubi vis spiras. Video munere tuo non unam, sed innumeras fidelium animas illo generoso germine gravidas; custodi opera tua, ne aliqua illarum abortiat, conceptumque divinæ sobolis informem aut mortuum excutiat. Vos quoque, o matres beatæ tam gloriosæ prolis, attendite vobis ipsis, donec formetur Christus in vobis (Galat. iv, 19); attendite, ne qua foris offensa gravior fetum tenerum lædat, ne quid ingeratis ventri, id est menti, quod spiritum quem concepistis exstinguat. Parcite, si non vobis, certe Filio Dei in vobis; parcite, inquam non solum ab operibus et sermonibus malis, sed etiam a cogitationibus noxiis et delectationibus mortiferis, quæ plane suffocant semen Dei. Omni itaque custodia servate corda vestra, quia ex ipsis vita procedet, cum scilicet maturus se partus absolvet, et vita Christi, quæ nunc abscondita est in cordibus vestris, manifestabitur in carne vestra mortali. Concepistis spiritum salutis, sed adhuc parturitis, nondum peperistis. Si labor in parturiendo, magna de spe partus consolatio. *Mulier cum parit, tristitiam habet* (Joan. xvi, 21) laboris; cum autem pepererit puerum, jam non memor erit pressuræ ipsius gaudium, quia natus erit homo Christus in mundum exteriorem corporis nostri, quod et minor mundus solet appellari. Qui enim nunc conceptus

est Deus in spiritibus nostris, configurans eos spiritui charitatis suæ, tunc velut homo nascetur in corporibus, configurans ea corpori claritatis suæ, in qua vivit et gloriatur Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

De hujus mysterii signis.

1. *Audite, domus David: ecce dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet* (Isai. vii, 13, 14). Hodie impleta est hæc propheta in auribus vestris. Hodie namque illud ineffabile conceptus virginalis miraculum, sicut audieratis promissum, sic audistis impletum: Virgo hodie concepit. Et hoc signum, prioribus retro sæculis inauditum, nostris sæculis Dominus dedit. Et sicut Jeremias eodem spiritu et eodem sensu prædixit: *Creabit Dominus novum super terram, quia femina circumdabit virum* (Jerem. xxxi, 22). ¶ Quid est enim, *creabit Dominus novum super terram, femina circumdabit virum*, quod ait Jeremias, nisi quod ait Isaias: *Dabit Dominus signum, Virgo concipiet filium* (Isai. vii, 13, 14)? Hoc nempe est, *circumdabit*. Non de consortio virili suscipiet, sed de se sola intra semetipsam concipiet, et solius materni corporis involuero vestiet. Alioquin dicant, si possunt Judæi, quod signum Dominus in hoc dedit, si non virgo, sed adolescentula, ut ipsi falso interpretantur, concepit; aut quid novum Dominus creavit, si femina masculum de masculo susceptum circumdedit. Potest quidem mentiri iniquitas sibi; sed in multitudine virtutis tuæ, o Domine, mentientur tibi inimici tui, ut virtutem tuam dum negat pravitas et paucitas Judæorum, gloriosius et copiosius confiteatur fides omnium populorum. *Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes, quia terra dedit fructum suum, Virgo germinavit Jesum* (Psal. lxxvi, 6). Velint, nolint Judæi, creavit Dominus novitatem hujus miraculi, in signum eorum incredulatis; utique in signum cui contradicunt usque hodie, plus, nisi fallor, pertinacia odibili, quam ignorantia miserabili.

2. Non alienum tamen ab origine et consuetudine viperei germinis, si modo contradicunt huic signo, postquam factum est, qui ab initio in patre et rege suo impiissimo Achaz contradixerunt ne fieret. *Locutus est enim Dominus ad Achaz, dicens: Pete tibi signum. Non petam, inquit, et non tentabo Dominum* (Isai. vii, 10-12). O religio profana! o pietas execranda! o humilitas dolosa! Ne tentes, ut ais, Dominaum, contemnens Dominum. Quomodo enim tentares, si fideliter obedires? Nunc autem quomodo non graviter tentas, quem manifesto contemptu irritas? Novimus utique, novimus dolum et invidiam Judaicæ radicis, quæ et antequam Christus nasceretur, invidere cœpit gloriæ illius. Nam et iste Achaz, quantum ex vita et moribus ipsius intelligi datur (nam cultor idolorum erat), non alia religione aut metu signum recusavit petere cum juberetur, nisi ideo scilicet ne Dominus glorifica-

retur. Sane mira et plane digna ira Dei et hominum, tam dira perversitas Judæorum, qui, cum jubentur signa quærere, renuunt, non, ut fingunt, ne tentent, sed ne glorificent Dominum (Matth. xvi, 4); cum non jubentur, tentant et quærant. Nam velut natura et usu Judæi signa quærunt, et, si dantur, calumniantur et inficiari contendunt, ut manifeste confiteantur quia tentantes quærerebant, non ut crederent facienti, sed ut insultarent non facienti. O gens peccatrix; *semen nequam, filii scelerati* (Isai. i, 4)! ait Isaias, *Numquid parum est vobis molestos esse hominibus, mihi et aliis prophetis, imo universo generi hominum, quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum* (Isai. vii, 13, 14). Quia enim vos in perversum adversum eum inceditis, et ipse, ut ait, perversus incedet vobis. Non vultis signum dari, ne glorificetur auctor miraculi; et ipse propter hoc dabit, ut ipse glorificetur, et vos confundamini. Fac, Domine, *fac mecum signum in bonum, ut videant qui me oderunt, et confundantur* (Psal. lxxxv, 17), ait de Judæis ad Patrem Filium.

3. Primum autem signum quod Pater et Filius operati sunt in confusionem infidelium et gloriam fidelium, in testimonium suæ virtutis et opus nostræ salutis, arbitror hodiernum esse Virginitatis conceptum. Nam de ipso cum præmissum esset, *dabit Dominus signum, quasi quæreribus quod signum, intulit contextus Prophetæ, verbis tamen Evangelistæ, Ecce virgo concipiet et pariet filium* (Isai. vii, 14, et Luc. i, 31); ut plane aut consequentia vel veritate contextus careat, aut (quod est probabilius) mendacium Judæorum latebram non habeat. Merito proinde cum jam generatio prava et adultera signum quæreret, signum non datur ei, nisi signum Jonæ (Matth. xvi, 4); ut videlicet qui ob perversitatem mentis non ædificantur signo virtutis, scandalizentur signo infirmitatis, triduanæ scilicet sepulturæ et mortis. Nam verbum crucis et mortis Judæis, qui pereunt, scandalum est; his autem qui salvi fiunt, id est, nobis, virtus Dei est (I Cor. i, 18); nec minor aut infirmior nobis est Filius hominis in corde terræ, quam in consessu paternæ dexteræ. Signum quippe quod illi recusaverunt, sive in profundum inferni, sive in excelsum supra, nos fide plena ac veneratione devota suscipimus, agnoscentes Filium quem concipit. ¶ Virgo, in profundo inferni signum nobis esse liberationis et veniæ; in excelsum supra, signum et spem exultationis et gloriæ. Qui enim primum descendit in inferiores partes terræ, ut in sanguine testamenti sui extraheret vinetos de lacu in quo non est aqua, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia (Ephes. iv, 9, 10). Jam levavit Dominus signum primum in patibulo crucis, postmodum in throno regni, et exaltavit signum ad populos nationum, quia contradictum est ei a populo Judæorum, et quotidie a quatuor ventis congregat dispersos veri Israel ad hoc signum. O Ra-

dix Jesse, qui stas in signum populorum, super quem jam continent reges os suum, obstruatur etiam os loquentium iniqua, id est, Judæorum blasphemantium, qui adhuc signo immaculato conceptus tui contradicunt, et nec angelo Gabrieli credunt dicenti quia non est impossibile apud te omne verbum (Luc. i, 30, 31). Beata quæ credidit, cui hæc ratio satisfacit, et, cum quæsisset quomodo Filium susciperet, quæ non cognosceret virum, tam de integritate quam de prole securam deinceps effecit.

4. Quidquid ergo garriat impietas infidelium, nobis concipiat et pariat Virgo Filium; nos quippe signum habemus in bonum, etiam Matrem et Filium. Nobis plane Mater tota miraculum est, quæ singulariter, et sine exemplo mater est et virgo; nobis Filius totus miraculum, qui non solum singulariter, sed incomprehensibiliter Deus est et homo. Mater, virgo concipiens et pariens, signum nobis est quia Deus est homo iste qui concipitur et paritur; Filius, divina faciens, et humana patiens, signum nobis est quia in Deum transferet hominem, pro quo concipitur et paritur, etiam et patitur. Omnium tamen humanarum infirmitatum vel injuriarum quas pro nobis pertulit divina dignatio, sicut tempore primam, sic etiam humilitate fere maximam existimo, quod in utero concipi, in utero novem mensium tempore majestas illa incircumscripta passa est contineri. Ubi enim sic se exinanivit? aut quando ita penitus a semetipso defecisse visus fuit? Tanto tempore nihil illa sapientia loquitur, nihil illa virtus manifestum operatur, nullo signo visibili majestas, quæ clausa latet, proditur. Non sic in cruce visus est infirmus, ubi quod infirmum ipsius fuit, statim apparuit fortius omnibus hominibus: quando et moriens glorificat latronem, et expirans inspirat Centurionem; quando horarius dolor passionis ei non solum compati fecit elementa creaturarum, sed etiam contrarias fortitudines subigit æternorum passioni dolorum. In utero autem sic est quasi non sit, sic omnipotens virtus vacat quasi nihil possit et Verbum æternum sub silentio se premit.

5. Vobis tamen, fratres, vobis illud silentium verbi loquitur, vobis clamat; vobis utique disciplinam silentii commendat. *In silentio enim et spe erit fortitudo vestra* (Isai. xxx, 15), sicut Isaias promittit, qui cultum justitiæ silentium definiit (Id. xxxii, 17). Sicut namque puer ille conceptus in utero ad maturitatem partus sub alto et diuturno profecit silentio, sic et spiritum hominis disciplina silentii nutrit, format et roborat, et quanto occultius, tanto tutius et salubrius incrementum præstat. Nescit homo animalis, qui non percipit quæ sunt spiritus Dei, quæ sit via spiritus, et quomodo compingantur ossa in ventre prægnantis (Eccle. xi, 5); sed *non occultatum os meum a te, ait sanctus Deus, quod fecisti mihi in occulto* (Psal. cxxxviii, 15) mentis, sub secreto silentii. Sed nec a vobis